QUÆSTIO MEDICA, 158

Cardinalitiis Disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 14 Martii 1720.

M. JOANNE HERMENT, Medico Regis ordinario, Doctore Medico, Præside.

An post cibum fumus tabaci?

I.

URBANIS & studio deditis frequens est stomachi imbecillitas: frequentius adhuc deliciarum patrocinium in accusationem stomachi non merentis, quæsitum. Tardè concoquunt aut ingesta copiosiora, vel prava coquere non possunt, præcordia inflantur, noctu sitiunt, non dormiunt, aut non placidè; cibus acescit & appetentia languet; perindè est multis. In ventriculum invehuntur & remedium quærunt hebeti ventriculo, abhorrent ab inediâ, à frugalitate, aquam abominantur, & edulia simplicia, facilè parabilia & à ventriculo facilè superanda. Hæc tamen forsan laudant aliquandò, sed in usum non admittunt. Malunt morbum quem insimulent; sæpissimè faciunt, fovent, augent. Monendi tamen vel importunè. Bonum est quod naturale. Ventriculus sibi & corpori universo victum prospicit & parat. Si in functione deliquerit, non sarcitur commissum. Ut non peccet animadvertendum. Norma est recta & maximè naturalis administratio. Opus exigendum pro roboris ratione; nec nimiùm, nec operosiùs. Impedimenta removenda, quæ ferè omnia ad plenitudinem redeunt. Quod solus ventriculus potest, sinendum ut faciat. Igitur ingesta arctè complectitur, nec vacuum relinquit locum, quàmlibet exiguum sit, quod in se continet. Ab omni aliâ re quiescit dum vacat coctioni. Quævis passio actionem interturbat. Motus vehemens corporis, animi perturbatio, dolor, febris, coctionem frustrantur. Moliris intensiorem virtutem, quæ fit tùm alteratio ciborum non est naturalis, ideòque imperfecta aut prava. Stimulum addis? deserere cogis inceptum, quod non impunè intermittitur. Una est ciborum alteratio proficua, quæ in chylum nutriturum, dulcem, pinguem, substantiæ mediocris & æqualis terminatur; talem non obtinebis unquam à vehementiâ, sed ab æquabilitate, non à remotione rerum inservientium, sed opportunâ adhibitione; ab organo liberè agente, necessaria admittente, non superfluis obruto.

II.

QUÆSTIONEM moves de superfluo, de deficiente, de organo spontè agente & excitato, stimulo adhibito; de necessariis admittendis, rejiciendisque superfluis. Addis, Medici officium est detractio redundantium, adjectio deficientium? Benè, si opportunè. Audi: finis Medicinæ est conservatio sanitatis præsentis, absentis restitutio, salubre ad aliud refertur, quod sanum cupimus. In eo causa est vel signum sanitatis. Totum corpus simul respicit, vel magis propriè partem determinatam. In ventriculi coctione, totum agit corpus, ideòque prodest quod totum juvat: peculiaris est ventriculi functio, nulla ferè pars totum magis afficit & à toto magis patitur: omnibus sympathiæ causis obnoxius, sive absolutis, ut sunt substantiæ similitudo, societas operis, communitas vasorum, connexio, vicinia: vel privantibus ut influxus negatio, prohibitus effluxus, motus compressus & exstimulatus. Signum est salubre constans, si pari ratione appetatur & coquatur, atque vicissim. In ipsa actione facilis est rei salubris tolerantia & ab ea solatium; post actionem, infirmitatis extinctio, restitutio sanitatis; vegetum corpus functiones bellè exequitur. Cave, credas ab evacuatione copiosâ meliùs futurum, aut à laboriosâ corporis concussione. Turbatur corpus ab insalubribus, vexantur partes, functiones interpellantur. Si contingat, ut quid simile sit moliendum, id quasi per transennam, ut ab onere liberetur corpus & sibi reddatur, nec quantum vacuatum fuerit animadvertendum, sed quale, scilicet nocens aut nocivum.

III.

SI dubites an fumus tabaci functiones interturbet & vexet partes; considera quid sit & quid præstet. Tabacum sive petum & nicotiana sulphure abundat & sale volatili acerrimo. Adeò vehemens est ejus oleum ad vomitum ciendum, ut naribus subjectum cogat evomere, ipsa aqua stillatitia vomitum provocat. His non uteris quæ sibi reddita & libera à suis compedibus, potentiora sunt? Sed fumus eadem continet & ex iisdem constat non omninò compactis. Magnas virtutes prædicas? Sunt revera: sed quæ magna est virtus extremo propior est, nec sine cautela adhibenda. Extrema extremis reservantur. Quocumque modo adhibeas tabacum, nihil mediocre expecta. Viride admotum potenter resolvit, tritum, vehementiùs: exusti cinis causticus carnes exedit putridas & chironia sanat ulcera. Siccum naribus inditum membranam convellit, ut non solùm mucus exprimatur quasi sollicitatus, sed serum fundatur ut in corysâ. Folii frustulum ore contineatur, vel fumus è fistulâ excipiatur, salivæ ductus, glandulæ maxillis appo-

ſitæ maximam vim ſalivæ evomunt, & ſucceſſivâ torturâ pulmo viſcoſam pituitam exprimit è larynge & trachæâ arteriâ, è gula, æſophago non minus extrahitur. Ventriculum ſubvertit & nauſeam vomitumque ciet. Aſſuetos habet mitiùs: at defluentis pituitæ copia eumdem ventriculum inundat, è toto corpore ſudorem pellit & ſimul alvum deturbat. Elixatum & jus clyſtere injectum non modò per alvum purgat, ſed & per vomitum, horrendaque parit ſymptomata. Quod damni non affert ſaliva, ſi eo fumo conſpurcata in ventriculum impluat. Lactea vaſa ſubit & in ſanguinea deferet ſales acerrimos & ſulphur narcoticum. Enimverò, venenum laudas cùm ſævit in præcordiis, conſpicuum cardialgiâ, nauſea & vomitu diro. Cum moleſta vertigo quaſſat ebrium caput, cùm ſuffuſio tenebricoſa inſtantem mortem prænuntiat.

IV.

SCILICET venenum eſt. Venenum intelligitur, quod ſub parva mole corpus humanum diverſâ ratione lædere poteſt. Nihil obſtat quominus idem venenum audiat & remedium ſtrenuum at periculoſum. Quod in tabaco & ejus excepto fumo vehementius eſt quàm ferri poſſit aut debeat, illud idem commendat & nocet. Primus hauſti fumi effectus eſt nervoſarum partium concuſſio. Secundus eſt, & à primo pendet, ebrietas, vertigo, ſpaſmus univerſus expreſſionis ſuccorum & humorum corporis cauſa. Undè per accidens, levamen: neceſſariò contingit partium lapſus, ruina. In juventute firma ſtamina, conſtans ſtructura, & inde inculpata ſanitas, validumque robur ſuſtinent impetum. Quæ ab eo attritio nervorum, perverſio, depravatioque functionum edocent brevì, quæ quaſi ſenes circumveniunt incommoda. Fugit frontis honor, victa membra, languet appetitus, viſcera fatiſcunt, arthritis contundit articulos, caput infirmum, gelidè quidvis ſenex timidèque miniſtrat. Tot ubique ruinis concidentibus, ſanguini intercluditur iter ut brevior in dies illius circuitus, tandem omninò cum calore deſinat. A cibo fumus hauſtus non adeò vehementer quatit nervos, ſed magis officit digeſtioni totique corpori labem inurit contumaciorem, ut cæteræ partes, ventriculus, & reliquis fortius, percellitur. Cibos non benè coctos ejicit, expreſſa per vim pituita permiſcetur, atque, ut fit in commotione vehementi, partes emittunt quæ ſervanda tradiderat natura, accipiunt, quæ ordine conſtituto vetuerat, ut ſuſciperent. Hoſtis penetralia ſubit. Sic erat tanta cura in ciborum copiâ & delectu. Dicam quod res eſt, vetus erat crapula & novæ deſiderium. Hæ fumi deliciæ, hoc lenocinium. Venenum eſt, ſed venenum cupiditatibus ſervit. Proditor placet in animi perturbationibus. Corpus

chylo veteri plenum & infarctum respuit de novo apposita; locus non suppetit; fit via vi, rumpunt aditus & claustra viarum.

V.

ALIMENTORUM necessitas, vini præstantia, in eduliis euchymis, substantiæ similitudo & benigna qualitatum temperies decipiunt nos. Nimiâ quantitate succi, optimi licet, oppressi jacemus inter frugalitatis encomia. Nullus intra necessitatis & naturæ limites diætam conservat. Jugulant nos artes ad vitam conservandam & beatiorem reddendam excultæ. Chylus ex præcedenti cibatione in sanguine residuus, vel in glandulas vasave excretoria amandatus, ob vitæ mollitiem restitat, exercitio excutiendus. Aër in eo compressus, sed calore corporis & irrequietâ cordis pulsatione valdè rarefactus, fibras omnes & organa torquet. Sensus & consuetudo novum chylum sollicitant ad leniendam ægritudinem & libertatem obtinendam chyli veteris, facti viscidioris. Hic est crapulæ sensus. Malum malo sæpè metuendo magis, pellitur. Fumus tabaci adhibetur ad crapulam solvendam, potentissimè solvit, sed damnum infert nervis, quorum fibras dimovet à situ & mutat figuram naturalem, motum inducit alienum. Functiones pervertit; titillatio in ægritudine tam gratâ, epilepsia est primùm levis, sed usu continuato crescit, & fatiscente familiâ nerveâ, fatigatis cerebri membranis, ex convulsivo motu fit convulsio, succedit epilepsiæ, paralysis & apoplexia. Cætera viscera sua damna patiuntur. Longè à naturæ proposito absunt, qui post cibum fumum hauriunt, juvare credunt ventriculum in excoquendo cibo, & turbant in opere. Coctionem sperant perfectiorem & præter imperfectum chylum, colluviem pituitosam inferunt in vasa lactea & sanguinea; hoc unum obtinent ut perdant partem chyli quam totis votis exoptabant sibi ex præstantioribus eduliis, spe duplici falsi, decepti luxuriâ.

Non ergò post cibum, fumus tabaci.

Proponebat Parisiis PETRUS MALOET, Claromontanus apud Arvernos, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1710.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.